





1784.

\*

1. Ackermannius: *Commentarium juris criminalis XIV.*  
Programma, quo ordinarius senior et iuris amicorum  
fac. ius. memoriae Ackermannianam indicunt.
2. Bauer, Humanus Interpretus, fac. ius. procuratella.  
Uris: legem 96 d. d. 7. j. [D.L. 17] in aucti-  
munde successione ex simultanea investitu  
tur non obiosam esse. Programma, quo solem-  
nia doctoralia Christiani Balonis Tudorici  
Melchioris tuticis.
3. Bauer, Humanus Interpretus, fac. ius. procuratella.  
Uris: De concubis ac dissensu nonnimirum  
legem Intelleximus et ius commune intercedente  
Programma, quo saltem in auctoritate Christiani  
Intelleximus Werneris indicat.
4. Bauer, Humanus Interpretus: Capita quaedam de  
prolatione ex libro mercatoris.
5. Bauer, Humanus Interpretus: Quaedam de datalito  
ejusque ab adulterium amissioni.



1784

6. Bauerus, Henricus Goropius: Vio 1.96.8d.7.j.  
[L.17] in testamentis interpretandis et evenis  
argumentis illustrata.
7. Brienerus, Christ. Gottlob: De cibis praesertim  
Saxonice fentorum equestrium capaci bus. 17.
8. Brienerus, Christ. Gottlob: De sanctitate iurium  
civibus selectorum reis ex statu Romani coronato  
athacentiam. 15.
9. Brizakoly, Adam Michael: De studio mundi  
fieri corporis penes Indacos mortis arcens  
alique abigendis apto. 16.
10. Ginerius, Christ. Gottlob: De compensatione legum  
Romanarum cum Graecorum institutis. 17.
11. Frake, Hieronimus riggimundus: De jure Rektorali  
Saxonic per legem tabularum innovato. 17.
12. Pfeitmannus, Ios. Ind. Bon. fec. per preancellarium  
De potestate Comitum Palatinorum ad die valde 26.

strich). Prettamus, quo otium eius inaugurar et  
Festorum Sigismundi Fratris indicet.

13. Prettamus, Thes. Ludorius Ernestus : De ducula-  
riis

14. Prettamus, Thes. Lud. Ern. : De cessione bonorum  
contumeliosa.

15. Ren, Christianus : De personis incertis ex testa-  
mento hereditatis

16. Roemig, Carolus Gottlob : De Augusto I. Rext.  
Iuris economiae privatae, principis, pu-  
blicae nec non politiae experientissimo. Pr-  
gramma, quo orationem ad trialem indicet.

17. Siegitz, Christianus Ludorius : De caassis, cur  
in Germania ius fundale Germanicum neglectum  
et ius fundale Longobardicum receptum est?

18. Winckler, Carl Corp. de : De differentiis inter  
testamentum nullum et inafficionem. p. 1.

1764  
<sup>15.10.</sup>

19. Winckler, Paul Gottfr. de : De jure re publicae  
in templis I et II.

21. Waller, Christopherus Fr. Sericus : Observations  
juris ecclesiastici.

*re*

*re*



11872.

1784, 1.

ORDINARIIV  
SENIOR CETERIQVE AS  
FACVLTATIS IVRIDICAE LI.  
MEMORIAM  
ACKERMANNIAN

DIE XVIII. FEBR. A. CIOCCCLXXXVIII.

HORA IX  
IN AVDITORIO SVO  
RECOLENDAM  
INDICVNT.

INEST

*Corollarium iuris criminalis decimum quartum.*

*y. M. Rother*

55  
DR

SCHÖR C 11

TABERNACULUM

METHO

AGAMON

DE TIBI TIBA

ET ALIA

CONSTITUTIONES AVANTIA

МАДАМСКИЙ

АНУСИИ

100

---

## COROLLARIVM DECIMVM QVARTVM.

*De reo contumace in causa criminali.*

**C**ontumax, quem HERMOGENIANVS l. 53. §. 3. D. de re iud. in genere ita describit, qui, cum obedire debeat, non obsequatur, in causa delictorum is est, qui vel 1) citari non potest, siue ob fugam captam, siue quia latitat, vel 2) citatus siue non comparet, siue comparens non respondet, l. 11. §. 4. D. de interrog. Sic in iudicio criminali, nec minus quam in ciuili, contumaciam vel citatio praecedit, vel non praecedit, nam in processu ciuili saepe etiam sit, ut absque praevia citatione contumacia committatur, v. g. deserta probatione, aut si quid aliud parti per sententiam iniunctum sit. Similis igitur ratio est processus criminalis, vbi omnes ii contumaciam committunt, qui siue citati siue non citati praesentiam sui non faciunt, eoque iudicem contemnunt, l. 53. §. 1. D. de re iud. CARPZ. dec. 43. no. 22. quanquam falsum sit, quod putat MODEST. PISTORIS conf. 60. no. 13. contumaciam dici a contemndo. Et primo quidem, reo vel latitante, vel per fugam sibi consilente, duo sunt, quibus contumacia reprimatur, remedia, *captiuitatis* alterum, alterum *editialis citationis*. Et de illo quidem parum attinet dicere, cum iam nostrum non sit, enarrare, quando iudici ad custodiā reorum procedere conueniat, singulis iuris criminalis compendiis ac interpretibus in eo

praeceuntibue. Singuli in eo conueniunt, custodiam fere decerni non posse, nisi in delictis atrocioribus, quod eo magis per se intelligitur, quo minus rei in leuioribus minutam poemam promerentibus causam habent, sui copiam denegandi. Haec quomodo cuncte sint, verum est, quod dicunt, in presumta contumacia reum esse, qui sui copiam non faciat, ZANGER de except. P. II. c. 10. no. 16. quamquam sunt, qui pauperes et in leuibus delictis custodiae tradendos autemant, Z. RICHTER iur. crim. sect. I. §. 108. Ista igitur contumacia primum compescenda est, si res ita ferat, captiuitate. Ad hanc, latitante reo aut fugitiuo, perueniendum est sive perscrutatione domestica, singulari illa contra personam susceppta, quae pars est et fere initium inquisitionis specialis, quam decet *Auffuchung* appellare, atque distinguere a perscrutatione generali, der *Hausfuchung*, qua corpus tantum delicti inuestigatur, HEIL. iud. et def. c. 2. §. 3. BERLICH. Dec. 120. no. 2. MEISTER princ. iur. crim. sect. 3. c. 28. §. 5. Fieri quidem nequit irrequisito iudice fundi, sed potest inuito possessore aedium; id quod iam antiquitus quoad fugitivos servos cum lege Favia tum variis SCtis ac Diutorum Fratrum orationibus cautum erat I. 1. 2. 3. D. de fugit. Sic igitur procedendum, si sciatur, aut suspicio adsit, reum alicubi latere, contumacia sic fere simul coepita et finita. At vero, si quo contumax se fuga receperit, ignoretur? Duo hic remedia iuris criminalis interpres suppeditare solent, alterum litterarum arrestatoriarum, editalis citationis alterum. Et illae quidem, quas et

et persecutorias appellare licet, germ. *Steckbriefe*, sunt litterae, sive patentes, sive clausae, ut plurimum datae sub fugae captiae initium, de fugitiuo incarcerando; quarum requisita videre est apud MEISTERVM *princ. iur. crim. l.c. §. 7.* cf. GRANZ. *defens. ingu. c. 4. membr. 2. sect. 1. no. 175 sq. CARPZ. pr. crim. qu. III. no. 36. KOCH. Inst. iur. crim. §. 948.* Sunt itaque loco requisitorialium, aut potius ipsae tales sunt, hoc tamen discrimine, ut unum eiusmodi epistole exemplum ad plures, plerunque vicinos, iudices mitti soleat, quorum unusquisque insinuationem sibi factam confiteatur, et sumta ad protocollo epi- tome, nuncium missum ad iudicem proximum profici sci faciat, LUDOVICI *Eml. z. peinl. proc. cap. 2. §. 2. 3.* Eiusmodi requisitioni parere, i. e. delinquentem remittere ad iudicem requirentem, olim erat necessitatis, *l. 7. de cust. reor. l. 28. §. 15. de poen. TITIVS iur. priv. L. XII. c. 16. §. 13.* hodie est meri arbitrii, quemadmodum de omni remissione, admissis tamen quibusdam a regula exceptionibus, ostendimus *Coroll. crim. II.* Quo loco obiter annotare licet, quodsi eiusmodi remissio, de qua hic loquimur, a iudice requisito decernatur, huic quidem iure Saxonico electorali permisum esse, a requirentem litteras reuersales tum expensas in captiuui alimenta et custodiari impensas, *Azungs- und Sizzegebüllren postulare, minime vero quicquam horum eos iudices exigere posse, per quorum iurisdictionem delinquens deducitur; Resol. grav. de a. 1661. tit. v. Iust. S. §. 44.* cf. HEIL. *l. c. §. 11.* Easdem litteras persecutorias visitatas etiam esse in processu bannitorio com-

muni, MEVIVS ad Ius Lub. L. IV. t. 17. art. 17. add. no. 10.  
ostendit, quo loco eas ita describit, ut iis iudices post enarratam  
facti et processus qualitatem rogentur reum capere, custodire  
et auxilium judiciale praebere, earumque formulam videre est  
apud HEILIVM iud. et def. c. 2. §. 23.

At faciamus, tum perquisitionem domesticam, ob reum  
custodiae tradendum peractam, tum litteras patentes perse-  
cutorias frustaneas plene fuisse, anne tunc reus contumax *per*  
*edictum in ius vocari* possit, videamus. Et quamvis non ignore-  
mus, hanc edictalem citationem in primis attribuendam esse  
famo so illi procedendi modo, olim prae cipue terris Saxonici-  
cis proprio, hodie tamen perraro, quem *Achtproceß* nominant,  
de quo inter alios CARPOVIVS et KEYSER integris libel-  
lis commentati sunt, tamen nec dubitare licet, eandem et in  
aliis causis criminalibus salubrem, imo vero saepe necessariam  
esse. Quoties enim propter eius, qui citandus est, latitationem  
aliamue causam priuata citatio inutilis est, publica adhibenda,  
*Clem. 1. de iudic.* Neque eam velim ad delicta tantum atrociora  
reuocare, verum, si iudex vel adulterium, vel surtulum,  
vel aliud leuiuscum delictum non impunitum relinquere ve-  
lit, et huius causa citatio edictalis decerni poterit, quemadmo-  
dum etiam aliquoties Ordinem nostrum iudicasse memini-  
mus, adeo, ut nec causei iniuriarum excludendae videantur.  
Hoc tamen monendum, ad citationem hanc edictalem, quo-  
niam aliquid singulare subest et in citandi haud tenue praefi-  
audi-

iudicium vergens, nec res legibus satis definita, non sine prae-  
via dicasterii sententia perueniendum esse. Huius enim est,  
arbitrari, num tempestiuas sit, et ipsi cause accommodata an mi-  
nus, vnde interdum adhuc antea maiorem persecutionem neces-  
sariam putat, pronunciando: daß Sticho morglichsten fleißes auch  
durch aufsertigung gewöhnlicher steckbriefe (quippe quae saepius  
interiecto post perpetratum delictum satis magno spatio ex-  
pediuntur, LUDOVICI Einl. z. Inqu. Proc. c. 3. §. 4.) nachzutrach-  
ten, und, wenn er zu erlangen, über das wieder ihm gerügte zu  
verneehmen, aut edictalem citationem statim decernit: daß Rufus  
mittels öffentlichen anschlags in dreyer herren landen mit einräumung  
dreyer völiger fäulfscher fristen zur vernehmung vorzuladen, vel,  
denique quod nec minus interdum sit, utramque formulam con-  
iungit, qualem vide in HOMMELII Flav. voc. Steckbriefe et Edi-  
ctalcitation. Triplex spatium, non simplex hodie plerum-  
que exigitur, ID. t. c. in not. et F. A. HOMMEL progr. de spatio  
cit. edit. an. 1755. quamvis forte pro simplici tantum spatio ali-  
quod argumentum a processu bannitorio Saxonico duci  
possit, in quo latius non desideratur.

Ea, quae hucusque diximus, pertinent ad processum in-  
quisitorium. In accusatorio vero obtinet modo allegatus mo-  
dus ad bannum procedendi. Bannus enim contumaciae est,  
non delicti, GRANZ def. inqu. c. 5. m. 2. sect. 3. art. 1. no. 46.  
Hic, soli iuri Saxonico proprius, plura singularia habet a CARP-  
ZOPIO Inqu. und Achtsproc. t. 15. art. 2 sq. et Pr. Crim. qu.

## VIII

136. no. 56 *sq.* ac qu. 140. no. 49 *sq.* atque KEYSERO pr. crim.  
*P. II.* longe lateque descripta, cf. LVDOVICI *l. c. c. 3.* §. 25 *sq.*  
 BRVNNEMAN de proc. *inqu. c. 8. m. 6. no. 31* *sq.* ex quibus hoc  
 solum annotemus, reum qui copiam sui non faciat, constitutio  
 to accusatore, ac habito solenni iudicio criminali sub dio, *noth-*  
*peinliche halsgerichte*, (distincto ab ultimo capitali, *dem hochnoth-*  
*peinlichen*) citandum esse edictaliter per tria territoria ad re  
 spondendum, eumque iterum contumacem condemnari *in*  
*die Ehehaft*, et in termino ad docenda legitima impedimenta,  
 eadem ratione indictio, in bannum inferiorem, denique pro  
 grediente pertinacia, nec reo intra annum, ut per innocentiae  
 deductionem a banno liberetur, operam dante, *sich aus dem*  
*banne zu ziehen*, in superiore declarari, *aus den friedern in unschieden*  
*versetzet*; quod tamen non obstantibus reliquis sententiae verbis  
 nullum alium effectum habet, nisi, ut in bannum declaratus  
 a quocunque in isto territorio possit debeatque prehendi, et  
 publicae custodiae tradi salvo ceteroquin eius vita et corpore,  
 CARPZ. *l. c. STRYCK usū mod. L. 48. t. 17. §. 2.*

Redeamus ad reliquorum reorum in iudiciis criminalibus  
 inquisitoriam pertinaciam, nempe ad eos, qui, non absentes, nec  
 edictaliter sed simpliciter tantum, citati vel a) non comparent,  
 vel b) quamvis compareant, praefracte non respondent.  
 Posset autem forte videri, utriusque contumacie sic facile ob  
 viam iri posse, atque a iudicibus bene agi, si reus statim ab ini  
 tio sub pena confessi et conuicti ad comparendum et re  
 spon-

spondendum in ius vocetur, quod in primis in delictis leuiusculis quotidie fieri, dicasteria animaduertunt. At vero ante omnia monendi sunt iudices, quo quot moneri volunt, id perraro ex lege fieri, potius hoc iuris praeceptum teneant: iudicem nunquam posse peremptorie atque sub praeiudicio citare, nisi hoc vel specialis lex vel lata aliqua sententia iubeat atque permittat. Haec regula omnino certa est, fallique nescia, et latissime patet, in causa tam ciuili quam criminali, F. A. HOMMEL uom Reseriren d. Att. §. 76. p. 133. ita ut omnis citatio contra facta incassum eat, ac reiterari debeat. Id, quod interdum Ordo Noster tanto rigore seruavit, ut cum aliquando de iniuria atroci ageretur et iudex per Rescriptum Supremi Senatus ecclesiastici iussus esset, reum ad summarie respondendum sub praeiudicio citare, nos mense maio 1782. nihilominus citationem repetendam iudicaremus, quoniam in iure criminali id per rescriptum suppleri non posset, quod lex aut sententia dictare debuisset. Cum itaque in primis nullum iure Saxonico legis praeceptum habeamus, quo in causa criminali iudici peremptorie citare permisum sit, praeterquam in causa sola leuidensium iniuriarum verbalium, ex mandato contra vindictam priuatam anno 1712. emissio, §. 22. fluit inde, nec in villa alia causa criminali posse iudices reos sub poena confessi et conuicti cum effectu vocare. Vnde manifesto errant omnes ii, qui quando audiunt ab aliquo subditorum vel aliquod fursum, siue maius siue parvulum, forte solummodo aliquot frumentum in agris natorum, aut adulterium, aut falsum aut tu-

B

multum,

multum, aut iniurias reales, vel etiam atroces verbales, aut stellionatum aliquem, aliudque qualemque sit delictum commissum esse, sibi admodum sapientes, delinquenti magna celeritate scriptam citationem mittunt ad respondendum futurae interrogationi, zur Vernehmung, addita comminatione, ni compareat in termino, ipsum certissime accusati delicti confessum conuietumque habitum iri. Quid igitur, inquiet, faciendum est iudici, quem absque praeiudicio citatus profecto illuder, pertinax in comparando, nihil praeiudicij timens? Profecto quamuis emaneat, vel non respondeat, tamen nec pignora capienda sunt, nec responsio per minas vel multas iniungenda est, nec ipse donec respondeat funiculus torquendus, quanquam haec singula BRVNNEMANVS, *Inq. Proc. c. 8.* *P. I. §. 78 sq.* aliquique doctores commendant, cf. I. H. BOEHMER de contumac. n. resp. l. c. §. 5. sq. nec denique durities carceris probanda, haec enim omnia, quicquid doctores contra dicant, vel poenae sunt, vel subfidae elicendi confessionis, non responsionis simplicis. Verum reo aut non comparente, aut responsionem, vel omnino denegante, vel, quod idem, obscure, dubitanter et absque cohaerentia verborum respondentie, iudex acta in dicasterium mittat, vt, quod legi deest, sententia suppleat, iubeatque nunc reum, si opus, sub poena confessi et conuicti, integro spatio Saxonico concessio, citari; quae deum facta citatio eam vim ac efficaciam habet, ut finigatur, reum delictum confiteri, aut eius conuietum esse. De hoc intellige virum sumnum I. H. BOEHMERVM, non de libero iudi-

iudicium citandi arbitrio, quando *in diff. de contumac.* non respond. c. 2. §. 2 iure Saxonico dicit, posse in delictis leuioribus responsonem sub praetudicio iniungi. Ceterum causa in ius vocationis inferenda est, id quod in omni ad persona iter comparandum citatione opus est, LYNCKER resp. 185. no. 41. Dixi, si opus sit edictali citatione. Quod si enim fortassis res exterritum sufficientium depositione, aut ex aliis argumentis dilucidis ac dubitationi haud obnoxiiis adeo clara sit atque perspicua, ut reus secundum ea, quae in actis continentur, iam conuictus sit, certumque ipsum illud crimen, de quo quaeritur, commississe, non necesse erit, eiusmodi citationem praemittere, cum non solum criminis confessus, sed etiam solummodo conuictus puniri, atque adeo, accidente corpore delicti, capite plechi possit, quamvis nec diffidendum, in delictis capitalibus ad convincendum plura requiri, quam in criminibus leuioribus. At haec omnia tantum ad processum inquisitorium pertinent; nam in accusatorio illo solenni, qui totus est ordinarius, videatur lis in contumaciam pro negatiue contestata habenda, quae est poena processus civilis iure communis, adeoque locus erit probationi accusatoris, I. H. BOEHMER l.c. §. 2. et si sunt, quid iure Saxonico rem aliter haberi putant, forte processum accusatorium non satis fecerentes a bannitorio.

Ceterum hic etiam repetendum discrimen, quod supra animaduertimus, si reus vel citatus non compareat, vel comparens in iudicio non respondeat. Si quis enim eo malitia

progrediatur, ut quamvis interrogatus a iudice tamē ev summa contumacia fileat, nullum aliud ad eam compescendam reliquum est remedium, quam eadem confessi conuictique comminatio; vbi tamen iterum magnorum leuidensiumue criminum ratio habenda erit, atque in his idem modus, quem supra vidimus, obseruandus, sed in illis quaedam adhuc animaduersio addenda. Scilicet vsu receptum est, vt in criminibus atrocioribus, in quibus regnat in primis processus inquisitorius, maior et superbior solo denunciatorio, responso ad articulos loco solennis litis contestationis habeatur, quae solet alias in causis ciuilibus maioribus ad libellum postulari. Hinc etiam in criminalibus aliquid desiderari solet, ad quod, quasi ad libellum, responsio sub poena confessi et conuicti exigatur. Haec causa fuit, cur in eiusmodi reo contumace hucusque iudicibus pronunciando necessitas imposita fuit, certos articulos inquisitorios ad acta concipiendi, ad quos respondere reus citatione sub praeiudicio ad eum missa teneatur. Qui enim iussus a iudice positionibus respondere absque probabili causa refusat, haberi debet super iis pro confessio, cap. fin. X. in 6. Eiusmodi consuetam pronunciandi formulam late exhibit c. r. HOMMELIVS in teutschen Flauio voc. Stummer, ex qua tamen optandum foret, vt comminatio circa duritatem carceris ac carenac omitteretur, quippe quae vel poena est, vel species torturae, nec ipsa semper ad frangendam contumaciam satis valida, ut exemplum apud I. II. BOEHMERVM l. c. docet. Quid vero? si eiusmodi crimen commissum sit, ad quod punient dum

dum nec articulis nec litis contestatione opus sit? id, quod ex legislatoris sapientissima recentiori voluntate saepius accidere potest. Satisne erit, ipsum citare ad respondendum interrogationi summariae, in genere zur summarischen Vernehmung? Nobis non ita videtur, potius ut in omni citatione, ita et in hac aliquid nominari debet, ad quod responsio iniungatur. Nisi itaque aut reo responcionem ad integra Acta imponere, aut iudicibus relinquere velimus, ad quasnam partes aut folia reum, ut respondeat, citare velint, quod posterius saepe non solum periculosum, sed etiam non exigui forte laboris foret, singula eo pertinentia ex quamplurimis actorum foliis conquirere atque corradere, melius forte facient dicasteria, si ipsa tot positiones, quot necessarias putant, forment, easque nominetenus sententiae, ut super iis reus ad respondendum citetur, inserant. Sic omnia recte et ordine procedent, quo hic eo magis opus erit, cum haec vnicarum tantum responsio rei sit, quae cum iugulare debeat. Attamen caveat iudex, ne has positiones, vel etiam articulos inquisitionales in copia citationi addat, sed sufficit, eos in actis reperiri, quod nemini mirum videri debet, cum nunquam par sit in processu inquisitorio has vel illas partes actorum cum reo scriptis communicare.

Quotiescumque igitur reus, ex qualicunque causa atque praevia sententia sic rite citatus, non compareat, nunc demum vere contumax est, l. 53. D. de re iud. eiusque rei effectus sequitur hic, ut pro confessio et conuictio putetur. Iam enim

VLPIANVS l. 5. *D. de poen.* dixit, aduersus contumaces, qui neque denunciationibus neque edictis praefidum obtemperassent, etiam absentes pronunciari debere. At nihilominus tamen nemo sibi persuadeat, eius rei eandem esse efficaciam, ac si crimen se commisisse vere affirmasset, adeo ut in statutam huic per leges publicas poenam contemporanea posset. Etenim quamquam secundum regulam confessus pro iudicato sit, l. 1. *D. de confess.* ac alias fictio idem operetur, quod veritas, l. 1. *D. de adopt.* tamen aequae certum et hoc est, fictam confessionem non esse confessionem veram; qua de re dicasteria sic statuere solent, ut ementita confessio nunquam nisi in delictis admodum leuidensibus forte quoad poenas leuiores, carcerem, multam et relegationem, minime vero quoad corporalem aut capitalem, plenam probationem efficiat,  
 LEYSER med. ad Pand. sp. 33. coroll. 2. et spec. 729. med. 12 sq.  
 l. 5. *D. de poenis.* WERNHER obs. 72. c. suppl. Recte enim dicit CLASENIUS ad Conf. crim. a. 62. in criminalibus omnia lucce meridiana clariora esse debere, nec contumaciam hic viam praecludere vltiori defensioni, quippe cui reus renunciare non possit; vnde consequitur, talem confessionis apparentiam non sufficere ad poenam ordinariam, nedium capitalem affligendam, sed quoniam saltim vim magni indici habet, inquisitus aut medio veritatis eruenda onerandus, aut statim poena extraordinaria afficiendus erit; cf. HEINECC. diff. de relig. iudic. circ. reor. confess. CARP. pr. crim. qu. 113. no. 54 sq. I. S. F. BOEHMER ibi obs. X. I. H. BOEHMER diff. cit. et To. I. conf. 106.

BERGER

BERGER P. II. resp. 94. Iure tamen Rom. in hac specie  
olim omnis omnino poena ex Seueri et Antonini rescriptis  
plane cessabat, mox vero ultra relegationem non progredie-  
batur, l. 5. D. de poen. l. 1. §. 1. D. de requir. vel absent. dann.  
Hodie ea res dicasteriorum iudicio reliqua est.

\* \* \*

Relinquamus vero et nos totam hanc causam et accedamus ad  
memoriam ACKERMANNI, quam Vir beatus subinde recoli-  
voluit publica oratione, in Auditorio nostro a Studioso iuris, qui  
vel Assessor ex Ordine Nostro, vel Scabini, vel ciuis Lipsiensis  
esset filius. Tam dulce mercatori visum, laudari a litteratis! Eas  
laudes enarrabit proximo die Mercurii Ordinarii nostri filius, iuu-  
nis non contempnenda spei, CAROLVS AVGUSTVS WINCK-  
LER, praemissa oratiuncula, cui titulus: *Crescens ciuium cultura,*  
*causa augendarum legum.* Huic si CELSISSIMI PRINCIPES,  
ILLVSTRISSIMI COMITES ET VTRIVSQUE REIPV-  
BLICAE PROCERES, GENEROSISSIMI DENIQUE  
AC NOBILISSIMI CIVES frequenter fauentesque interesse  
velint,

XVI

velint, id quod maximopere rogamus, facient rem non solum oratori honorificentissimam, sed nobis etiam pergratam. Scrib.

Dominica Sexagesimae anno ccccxxxiiii.

EX OFFICINA SAALBACHIA.



**ULB Halle**  
006 378 986

3



KO78





11872  
17841  
inches  
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Centimetres  
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

## Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black B.I.G.

# ORDINAR SENIOR CETERIQUE FACVLTATIS IVRIDIC MEMOR ACKERMAN

DIE XVIII. FEBR. A. CIC

H O R A  
I N A V D I T O R  
RECOLEND  
INDICVNT.

I N E S T  
*Corollarium iuris criminalis de*